



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

11 Quot modis poßit quis voto solui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

amplectendam: quandocumque enim aliquis promittit factum alienum ad quod cogere non potest, non censetur aliud promittere, quam se, quantum poterit, inducitur alterum ut faciat; vt omnes iurisperiti docent, & colligitur L. Stipulatio ista, *π.* de verb. obligat. & Institut. de similib. stipul. §. Si quis alium.

Deinde in his, quae ad statum vitaे pertinent, quisque est sui juris, nec potest ad ea nisi suo consensu obligari; vt patet in matrimonio, sacerdotio, celibatu, &c. tantum enim onus, quod perpetuo homini adhæret, & in negotio salutis tantum in utramque partem momentu haber, non ex alieno arbitrio pendere, sed sponte suscipi debet: ergo idem dicendum de statu Religionis. Deniq; quia Christus Dominus consilia sua voluit esse libera, idq; tum propter illorum excellentiam, tum quia non sunt necessaria ad salutem. Vnde nulla potest humana potest ad ea obligare. Itaque Religio duplice nomine libertate postulat, nimirum quia & ad totius vitaे statum pertinet; & quia est bonum supernaturale consilia Christi complectens.

Nec obstat, quod parens possit quædam filio precipere: quia non potest præcipere ingressum Religionis, sed ea tantum, quae ad domesticam disciplinam, & obseruationem mandatorum Dei pertinent. Deinde et si ad hæc possit filium obligare præcepto, non tamen voto.

Petes, Quid si voto personali implendo occurrit impedimentum; tenebiturne vouent per alium implere?

Respond. Non tenebitur, quia sola ipsius persona obligabatur, quæ iam per impedimentum excusat. quod si per alium fecerit, non idem liber erit cessante impedimento, nisi commutetur voto. Excipe, nisi dum voueret, intendisset se obligare ad impletum per alium, in euentum, quo per se non posset; tunc enim teneretur id curare: & sic liberaretur.

Dico Secundò, Si voto sit reale, nisi ante mortem persolutum fuerit, obligat heredem. colligitur ex cap. Si heredes, de testamento; vbi dicitur, heredes, qui in sua testatoris no*n* impleverint, esse interdicendos hereditate. talia enim vota inter iussa ipsius censenda sunt. Idem pater ex L. 2. π. de pollicitationibus, vbi dicitur, *Si decimam quis bonorum voulit, decima non prius in bonis desit esse, quam fuerit separata.* & si forte qui decimam voulit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditatem nomine obstrictus est decima: voti enim obligationem ad heredem transire conatur. Idem docent communiter DD. vide Siluest. v. Votum 2. qu. 11. Ratio est, Quia sicut heres succedit in bonis, & in actionibus ac iuribus defuncti; ita etiam in oneribus quæ hereditatem attingunt, etiam si nulla res per se sit obligata. Vnde sicut ea, quæ testator promisit homini, teneatur soluere; ita etiam quæ promisit Deo.

Idem dicendum videtur, si defunctus vouerat aliquam peregrinationem, vel militiam sacram, ea intentione, ut si per se non posset executi, per alium curaret: tunc enim sub conditione videtur tacite vouisse se datum sumpitus ad hæc praftanda; & proinde fecisse voto reale; quare tenebitur heres; quod est notandum, idem dicendum quando testator ordinat ut heres mittat hominem.

Simile est, Si quis voulit ædificare Monasterium, vel aliam piam fundationem instituere. Ita docet Abulensis q. 9. 8. in cap. 30. Numerorum.

Quae par-
rens possit
præcipere.

64
Si occurrat
impedi-
mentum.

65
Si reale.

Votum per-
eigrinatio-
nis.

Petes, Quid si heres non cureret fieri, peccabitne contra votum?

Respond. Non peccabit propriè contra votum, nec erit voti violator; quia ipse nihil voulit, aut promisit Deo, (sic ut heres, qui tenetur promissione testatoris iuramento confirmata, non tenetur vinculo iuramenti) sed partim contra obligacionem, quia defuncto obstringitur ratione hereditatis accepta, seu taciti pacti, quo eo ipso, quo hereditatem adit, acceptat onera defuncti: partim contra Religionem, quia non soluit quod Deo debet, et si enim Deo non promiserit, tamen factus est Deo debitor, suscipiendo in se obligationem alterius Deo debentis. Sicut is qui promisit se votum voulentis impleturum accepta mercede; si fallat, & ipsi & Deo iniuriam facit.

Dico Tertiò, Si voto sit mixtum, partim obligat, partim non obligat heredem: obligat quæ *Si mixtum* reale, non obligat quæ personale, vt si vouent peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem; heres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem.

Petes, An teneatur sumptus itineris in pios usus *Sumpua* conferre?

Respondeo, non teneri: quia sunt accessoriij voti personali; non enim sub illud cadunt, nisi indebet, & vt necessarij ad explicationem voti personalis: illo igitur evanescente, definitur deberi, secus si ille vouendo intendisset ut per alium expleretur. Hocum tamen habenda ratio in commutatione votorum, teste Nauarro cap. 12. numer. 7. & colligitur cap. Magnæ deuotionis, de voto. hoc tamen non videtur absolute necessarium, sed decens.

D Y B I T A T I O XI.

Quot modis possit quis voto solui.

R Espondeo, Quinque modis, ut colligitur ex 68 DD. vide Siluestrum, Votum 4. qu. 1. Na- *Quinque* uar. cap. 12. nu. 63. Primò, Defitione materiae. Se- *modis obli-* cundo, Absentiæ conditionis. Tertiò, Irritatio- *gario voti* ne. Quartò, Commutatione. Quintò, Dispen- *satione seu absolutione.*

Defitione materiae soluitur, si id quod antè erat legitima materia, definit esse materia voti, vel absolute, vel respectu voulentis. vt si fiat impossibilis, si mala, si maioris boni impeditiua, si indiferens, si inutilis.

Defitione conditionis; vt si voto factum sit cœniente vel durante certa conditione, & illa non eueniatur, vel definatur.

Irritatione, Quando materia, quam voulimus, vel voluntas voulentis, subiecta est aliquo modo aliena potestati, & ab eius consensu dependens; talia enim habent hanc tacitam conditionem, Ni- si Superior, seu ille cuius interest, contradixerit.

Commutatione, Quando obligatio voti ab una materia transfertur in aliam. Quod si obligatio voti personalis transferatur ad opus reale, vt ad eleemosynam vel ædificationem loci pij, dicetur redemptio.

Dispensatione, Quando auctoritate ecclesiastica quis omnino à voto absolvitur. Differunt hi tres modi, quod irritatio non requirat auctoritatem ecclesiasticam, commutatio vero & dispensatio requirant.

D V B I

66
Si heres
negligat.